Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Jesulus deus - homo ex virgine natus

Schwalbach, Johann Georg

Rheto-Oëtinga, 1625

urn:nbn:de:bsz:31-138682

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

72 A 5377 R

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

IESVLVS DEVS-HOMO EX VIRGINE NATUS,

Ab

Angelis revelatus,
Paſtoribus viſitatus,
Magis adoratus,

EidyllIs, Eclogis, & Epigrammatibus ebuccinatus,

per

M. JAN- GEORGIUM SWALbacium, Francum, Poëtam nobili lauru coronatum, Illuſtris Oetinganæ Scholæ p. t. Con-Rectorem.

ANNO
IesV fILI DeI VIVe ſerVa MortaLes.

In Illuſtri Rheto- Oëtinga
Typis exprimebat Lucas Prætorius.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

AK 7 am 72 A 5377 R

Iohan: Chrysosto: Homil. 5.

Scio, qvod caro Verbum factum est: et qvomodo factum sit nescio. Miraris, qvia ego nescio? Omnis creatura ignorat.

August: Epist: 2. ad Volusi: de Incarnatione Chri:

Si ratio qværitur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non singulare. Demus, Deũ aliqvid posse, qvod nos fateamur investigare nõ posse.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

EIDYLLION I. AMOEBÆUM.

Mopsus, Corydon, Sylvanus, Menalcas, Lycidas, Angelus.

MO. Nescio quid præsaga novi mens ominis in me
Actitet: aut damni, quæ dicat signa futuri.
Longa propinquat hyems udis madefacta pruinis:
Pascua languescunt, perditq; annosa cadentes
Sylva comas: niveum concludit ovilia cœlum.
Ah! quî nunc pecudes, gnatos, mea pignora dulcia
Cum consorte tori per tam mala tempora ducam?
Cor. Quid sibi vult hæc frons? aut cur suspiria ducis
Mopsule? nec solitis resonantia dulcibus arva
Cantibus, ac virides solaris arundine sylvas
Dulcisonâ? Quisn' iste dolor, qui te capit ingens?
Mo. O Corydon, Corydon! cordis pars altera nostri:
Non mihi nequidquam lugens per viscera pallor
Aegrotas tenui subfundit sanguine venas:
Damna graves cogunt gemitus dare pectore ab imo,
Ac variæ sortes. Tibi grex, tibi fistula curæ,
Saltusq; & variæ certamina pulcra palestræ:
Ast ego triste, lupum, stabulis sub corde volutò,
Excidium gregis vsquè mei, comitumq; meorum:
Dein vacuata meis multùm fœnilia tignis.
Cor. Hoc comune malum totis jam regnat in agris:
Et plureis eadem pastores damna queruntur.
Præda Lupi frustra te jam mœrore fatigat
Insano, raptumq; pecus sub corde volutas:
Non te concutiat res hæc adversa. Diebus
Succedunt tenebræ: tenebris aurora solutis

Mox redit: instabilis rerum sic vertitur ordo.
Mop, Vix treis facta dedit paleæ tritura quasillos?
Iugera nec minimum secui per sena maniplum:
Et tamen est positi numeranda pecunia census
Cæsarei. Melior veniat nî, quàm fuit, annus,
Vendam vtrumq; gregē. Quòd si quis jam foret ētor,
Venales, quas nunc habeo, dare cogerer agnas.
Cor. Hei! nimis alta petis tristis fastigia sortis:
Pastores nova sæpe quatit sors dira malorum,
Quos rursum in solio melior fortuna locabit.
Sperandum est melius. Non semper turbidus aër:
Clarius hæc olim lustrabit nubila sudum.
Forsan & aspicies orientis cornua capræ.
Mop. Quid sperem? toties ego spe deceptus inani,
Conquerar æternâ serie durare labores.
O vtinam! veniat nobis prædictus ab alto
Culmine cœlorum Messias: cœlitùs adsit!
Ærumnasq; graueis tollat, minuatq; pericla!
Cor. Ne dubita, veniet: nostri nam temporis ætas
Exigit: implentur prædicta oracula Patrum
Nostrorum, tempusq; monet non abfore multùm.
Ast age, læta viden' quàm nobis turba propinquat?
En tibi! Sylvanus, celsaq; ex stirpe Menalcas:
Surge age: pelle moras, læti de more salutem
Dicamus socijs: adamant hæc rura salutem.
Mop. Ritè mones, parebo: dolor luctusq; facessant.
Cor. Pastorum salvete decus, pecorumq; magistri.
Men. Vos quosq; turbai salve manus incluta nostræ.
Mo. Quæ loca vos retinent? Cor. quæ diverticula
Syl. Vicino sub monte diē transegimꝰ omnē (mundi?
Cum pecore atq; agnis. Mo. Sic vos fortuna beare
Adsolet; vt semper quæ pascua gramine multo

Dite-

Diteſcunt, vobis obtingant. Sylvia faſceis
Vix mea congeſſit ſalicum per pabula paucos,
Quos (neq; ſufficiunt) ſolis dem paſcua capris.
Me. Nunc mora nulla viri: gelidos ſedeam⁹ ad ignes:
Huc etenim nos triſte jubet concedere frigus.
Syl. Huc mihi da ſilicem: tu collige fortè favillam:
Inſtrue ligna foco, ſuffla ſpiramine multo.
Abſcedat fumus: ſurgatq; in ſydera flamma.
Me. altis læta jugis, autumni frigore primo,
Mitia poma tuli, quæ nunc aſsate, vorate
Compulſis illuc gregibus. Cor. Nunc gaudia noſtra
Decantent, telluſq;, feræ, ſyluæq; paludes.
Mop. Nunc opus eſt curare cutē, dêincætera agem⁹.

ANGELUS.

Parce metu gens ſydereo gratiſſima cœtu:
Læta fero cunctis latè nova gaudia terris.
Bethlemia vobis hodie Salvator in urbe
Natus adeſt IESVS; Deus ille ſalutifer, ille
Qvem varij ſacro cecinerunt carmine vates:
Qvoq; magis puero fas ſit gaudere reperto,
Accipite hæc memores, et pectore figite dicta.
In ſtabulo vili, vile ad præſepe repoſtus,
Vilis, linteoliſq; humeros velatus, aviti
Davidis patriam jacet inveniendus ad urbem:
Et ſtipulâ fultum gelido fas cernere in antro.
Gloria ſtelliferum ſoli ſuper æthera Patri:
Pax ſemper tranqvilla bonis mortalibus eſto!

Mo. O Corydon, et tu Sylvane, gravisne cubantes
Vos ſopor obruerat? myſteria dicere tanta
Qvis poterit? ſomitum audiſti n' faciemq; decoram

Aligeri juvenis vidiſtin'? aurea terga?
O jubar! ô nitidi lux & chorus altus Olympi!
Cœlica qui velut æthereo duce ſigna ſecutus
Ductabat choreas, & carmina læta canebat.
Cor. Vt vidi! vt timui! quàm me grauis impulit hor-
At mox ille metum placidis mihi demere dictis: (ror!
Lætitia attonito certabat miſta pavori:
Miſſa fuiſſe, reor, cœlo mihi ſomnia ab alto:
Nec ſomnus tamen ille: ſacros mihi namq́; ſuſurros
Auditos memini, ſolamina prima tremoris.
Syl. Quàm timidos placido nos circumfudit amictu?
Mo. Ah! quàm lætiſonis mulcebat cantibus aures?
Syl. Quantus honos roſeo, quantum decus affuit ori?
Jam mihi ſordeſcunt non ſylvæ & inertia ſolùm
Rura, ſed & pulcris turritæ mœnibus vrbes.
Me. Quàm mirum ſonuere melos? numerisq́; canoris
Increpuere poli, mediâ dum nocte ſilebant
Omnia: celſa inter verſari caſtra Deorum,
Pennigeris & adeſſe choris, & amœna videbar
Conſilia alta Dei, comitumq́; videre volantûm.
Tum noſtri & calami dulces, cytharæq́; lyræq;
Diſplicuere animo, vitæ ſolatia noſtræ.
Cor. Quis tibi tunc ſenſus cernenti parve Menalca?
Men. Ne ſecum raperet me lucida in aſtra verebar:
Optabamq́; rapi, miſerasq́; relinquere terras,
Fas tandem omne putans cœleſti luce potiri.
Mens quoq́; paulatim puerili ardebat amore,
Compellare virum, captasq́; offerre palumbes,
Ut parva acciperet magni monimenta favoris:
Mo. O ſocij! en puer, vt puero noua dona feramus,
Admonet: imperiumq; neſas contemnere Divûm.
Primus ego, alipotens, tua juſſa capeſſo beata:

Te

Te duce inibo viam cœli pulcerrime miles,
Cui sacer ambrosium vertex spirabat odorem:
Lætaq; purpureis radiabant lumina flammis.
Cor. Quid comites? cessamus adhuc? celebrate beata
Imperia, & jussam properè pergamus in vrbem:
Demus & æthereo munuscula promta puello.
Syl. Non te deserimus: sequimur quacunq; viarum,
Munera portantes, quanta est sua cuiq; facultas.
Me. I, præcede: citi te cætera turba sequemur.
Co. Pergite, pone sequar, comes est mihi Mopsul9: at
Nos Sylvane præi: fas est præcedere fortes, (tu
Invalidosq; sequi, si quis fortè ingruat horror.
Me. Nos medij sumus, at Sylvanus in ordine primus.
Mo. Sis Sylvane comes Corydoni. Me, at Mopse, re-
Te mihi des sociũ, nos sorte fruemur eàdem. (versus,
Syl. Nunc calamos inflare leues, nunc dicere versus
Occipite, ac dulci depellere tædia cantu.
Ordiar: ite: modis placidas dare dulcibus aures.
Mo. Hic locus ille mihi, bene si prædicta notavi:
Felix ille locus, cœli quem dixerat ales.
Syl. Aspicis? en! quanto lustratur lumine sursum?
Mop. Salve parva domus: parvi salvete penates;
Ante laboriferis statio opportuna jnvencis.
Me. Intremus, quando patet antri janua, divo
Vt puero, & matri laudes munusq; feramus.
Cor. Nunc plausum ingeminate viri carmẽq; sonate,
Et læto quatiamus humum pede: dicite versus.
Syl. Nunc, nũc, quisq; Deo laudes ac munera promãt,
(Majestas laudes, paupertas munera poscit)
Ordine quisq; suo; doceat sua quemq; voluntas.
Mo. O divine puer, lapsi spes vnica mundi!
Venisti tandem, tuaq; expectata tot annis

Vicit iter durum pietas? O! nobile tempus,
Qvô tuus aſma mihi ductor dedit ora tueri.
Sic patrius poſcebat amor: ſic lapſa petebant
Sæcula, ſic vatumq; preces, gemitusq; parentum.
Veniſti tandem? neq; ſors tua quemq; fefellit.
Salve pulcra parens, & digna puerpera nato!
Salve magne ſenex, talamis dignate beatis!
O! quàm vos cupio rebusq; opibuſq; juvare:
Sed mihi grex parvus, tenuis res peculi:
Pauca dabo tamen. Hæc ovium Puer accipe molles
Exuvias, ne ſtramineum te deinde cubile,
At torus excipiat teneros tibi mollior artus.
O mihi! quàm lætus toto conſumerer ævo!
Sed me cura domus revocat, lictæq; myricis
In Bethlemiticis hirtæ, mea cura, capellæ,
Cornigeræq; boum turmæ, vituliq; petulcj,
Lanigeriq; greges, viridiq; ex ceſpite culmen.
Mille valedicens pedibus tamen oſcula figam.
Cor. Salve care puer, gemini ſalvete parentes.
Tune Puer, dux ille, ſacri de ſtirpe Dauidis?
Gloria Dauidicæ, ſolo quo ſoſpite, gentis
Soſpes erit, veterum nam vera oracula vatum.
Nunc Deus hanc animam de carcere corporis hujus
Solvat, & hanc placidâ deponat pace ſenectam,
Quando tuos vivo licuit mihi cernere vultus.
Ah! quorſum juvat; heu! miſeram traducere vitam?
Ah! quo, magne puer, te munere paſtor egenus
Proſequar? omne Lupus raptor vaſtauit ovile.
Hic tamen, Agne Dei, mitis tibi ludet & agnus:
Hîc ego, ſi fas, quàm cupiam tibi jungere vitam:
Nec me cura gregis revocaret & arta ſupellex.
Syl. Salve ſumme puer, genitrix ſalvete paterq;

Sede

Sede opibusq; humiles; tantâ sed prole stupendi.
Salve iterumq; iterumq; Dei certissima proles,
Et Deus ipse; tibi nec enim mortalia membra,
Nec facies mortalis: erat pulcerrimus ille
Nuncius, ille tuos nobis qui rettulit ortus.
Tu Deus, ac summis certè ex cœlestibus vnus,
Pulcrior es illo; longè es mihi carior illo:
Namq; decet dominum carum magis esse ministro:
Tale nec vlla queant mortalia lumina sacrum
Oris ferre jubar, quale emicat auricomus Sol.
Hanc ergo accipias nostris è fœtibus agnam:
Ante tuas cunas vitam lasciviat omnem,
Vagitumq; tuum relevet victumq; parentum:
Multa tuis abiens pedibus simul oscula ponam,
Sint tibi quæ certum magni breve pignus amoris.
Men. O gẽerose Puer! rex maxũe, & inclute, & ingens
Quid tibi, dia salus, humili precer ore salutem?
Qui mundo potes æthereos dare solus honores;
Solus perpetuam potes instaurare salutem.
Quam dabis, immatura tibi cum fluxerit ætas.
Pasce meas pecudes errantes, orbaq; rura.
Atq; hæc accipias magno mihi parta labore
Munera, victricem palmam, morumq; hederamq;
Imperij præsaga tui monimenta potentis.
Vos tamen heîc nigrante aliàs sub rupe revisam,
Et dabo signa novi, si vita superstes, amoris.
Iam sexcenta feram puerilib? oscula plantis.
Mop. Magne puer magni celso sate numine patris,
En tibi curva solo ponuntur genva precantûm:
Omnia fausta tibi patrio de more rogantûm:
Salve vere pater patriæ, par nomine numen:
Cara Dei suboles, olim promissa Dauidi,

Quõ

Quô se Bethlemidûm nomen jactabit alumno.
Tu quoq; cane senex, tu formosissima salve
Mater, & huic longùm felices vivite nato.
At tibi magne puer modici munuscula ruris,
Errantes hederas, lauro victrice revinctas
Offero, ut æterno vireat tua gloria cultu:
Et cytharam noti longè super astra Davidis,
Artè laboratam, regali & pollice pulsam
Sacrat inops, verùm manus & mens dives amoris.
Hæc tibi, triste gelu lacrumas si forsan amaras
Excutiet, dulci revocabit carmine somnos.
Præterea, vt varijs concors discrimine nervis
Consonat, haut aliter dulci tu fœdere gentes
Conjunges varias: concors tibi gloria surget.
Sylv. Te quoq; Sylvanus, sylvarum cultor & idem
Rusticus upilio te supplice voce salutat
Terrigenis date magne puer, sate numine Divûm,
Spesq; decusq; solj, non enarrabile donum,
Vosq; salute parj impertit matremq; patremq;,
Donat & hæc vobis æternæ pocula Cedri.
Materiæ nec cedit opus: dignissimus autor:
Davidis fecere manus, cum parvus in ista
Pascéret urbe gregem, nec dum caput unctus olivo.
Hæc, quoties rigat ora latex, decora alta tuorum
Aspice, & hæc nivei pariter cape cymbia lactis:
Lacte etenim tu candidior puer inclute, et ingens.
Plurima deinde tuis pedibus pia basia figo.
Lyc. Macte Puer virtute nouâ, noua gaudia portans,
Qui jubar omne solo revocas, certamq; salutem,
Imperijq; humero geris jmmortalis honorem:
Legitimo qui jure feres mirabile nomen,
Consultor, Deus omnipotens, regniq; futurj

Autor

Autor, & æterni patris & dux inclute pacis.
Salve ô ſyderei magnum patris incrementum!
Vos ſalvete pares animis, noua nupta, ſenexq;
Hæc capite eximio cochlêaria ſculpta labore,
Atq; agreſte pedum, quô vaſtâ mole Gigantem
Terruit Iſacides; quô nixus ſtipite, quondam
Iordanem pius Iſraël trajecit amœnum.
Hoc Moſis geſtamen erat, cum ſacra nouatis
Annua legitimis ferijt ſolennibus agni.
Hanc etiam triplici contextam ſtamine fundam,
Non ignota, damus, rudibus paſtoribus arma.
Quis ſcit? an ille ſacer cœlo delapſus ab alto;
Nuncius ille rubris, qui nos modò terruit alis,
In ſomnis ideò primum paſtoribus, ortum
Dux tulit antè tuum, quia te paſtoribus vnum
Exemplum decet eſſe bonis, per devia rura
Qui quæras bone paſtor ovem, gremioq; repertam
Imponas humero, ſalvamq; ad tecta reducas,
Quod reor, & Mopſi bene ſi mens augurat, opto.
Nunc puer alme tibi talos provolvor ad imos,
Et niuea indignis tango veſtigia labris.
Men. Et rurſus redeo, minimusq; ſaluto Menalcas
Vos omnes, ô! parue puer, materq; paterq;
Bina manu portans puerilia dona palumbes:
Interea pueri puer ô memor eſto Menalcæ.
Cor. Diximus agreſtem ſiquidem de more ſalutem,
Muneraq; obtulimus, non hinc abeamus; amœno
Quin puero coram choreas ducamus agreſtes,
Illius & laudes referant ad ſydera cantus.
Mop. Nectite jam mecũ celeres; age nectite palmas:
Concentusq; meos cuncti; geſtusq; referte.
Bos mihi formoſus placet, & formoſus Aſellus:

trum

Antrum formoſum, formoſa crepundia, cunæ
Formoſæ, genitor formoſus, Nuncius ales
Formoſus, formoſa parens, formoſior infans!
Cor. Felices pecudes, felicia tecta, Magiſtri
Felices pecoris, felix materq; paterq; :
Nuncius & felix, longè felicior infans.
Syl. Aureus eſt aſinus, bos aureus, aurea fulcra:
Aureus orator, pater aureus, aurea mater:
Aurea cuncta, mihi longè magis aureus infans.
Lyc. Sancta parens, genitor ſanctus, ſanctq; miniſter
Alipotens, ſanctumq; antrum, præſepeq; ſanctum,
Et ſanctæ paleæ, veſtes, & ſtramina ſancta:
Omnia ſancta; tamen longè mihi ſanctior infans.
Men. Antrum dulce mihi, dulcis bos, dulcis aſellus,
Et dulces ſtipulæ, cunabula dulcia, dulces
Aligerum voces, dulcis pater, & pia mater.
Matris amor dulcis: longè mihi dulcior infans.
Mop. Auguſtum ſtabulum, genitrix auguſta, ſenexq;
Auguſtus, comites auguſti, auguſtus amictus:
Auguſti alipedes, auguſtaq; carmina, noctis
Auguſtæ tenebræ, mihi longè auguſtior infans.
Syl. Antrum mirandum, mirandus bos & aſellus:
Mirandus pueri genitor, mirandaq; mater:
Alipedum cœtus mirandus, ſed magis infans.
Cor. Pulcra domq, pulcerq; torus, pecq vtraq; pulcra,
Et pulcræ ſtipulæ, præſepia pulcra, parentes
Ac cultus pulcri, pulcer legatus, & alti
Pulcra manus cœli, longè mihi pulcrior infans.
Me. Et domus eſt humilis & lectus & angelus, iſthuc
Paſtores mittens humiles, humiles quoq; panni:
Et veneranda parens humilis, ſed humillimus infans.
Ly. Paupertatis amans locus, & paupercula mater,

Et

Et ſtabulum, & viles panni, paupercula ſigna:
Et nos pauperiem ſequimur, pauper magis infans.
Infans dux inopum, rebus contentus egenis.
Mop. Aſperitatis amans locus eſt, & veſtis & infans.
Aſpera multa parens tulit, & feret aſpera plura:
Aſpera multa puer tulit, & feret aſpera plura.
Co. O contemtor opum locus hic, & veſtis, & infans.
O præſepe ſacrum, vani contemptor honoris,
Ipſas delitias panni damnatis & infans.
Omne decus mundi ſpernit locus, at magis infans.
Ly. Noſtra, agite, ô comites, jam tecta reviſere tēpus
Lutea jam ſurgit roſeis aurora quadrigis,
Obſcuras clarâ depellens luce tenebras:
Cantando redeamus, iter cantando leuemus.
Syl. Non longū, tamen, ante vale, vale dicite cuncti.
Incipiat Lycidas; Lycidam nos deinde ſequemur.
Ly. Nate puer generoſe vale, vale incluta mater:
Mo: Progenitor mirande vale, pecudesq; valete.
Syl: Ter fœlix præſepe vale, mirandaq; rupes.
Regia nunc Chriſti, domus olim habitata juvencis.
Co: O. ſpecus admiranda vale, loca ſacra valete:
Me, precor, ante meæ capiant obliuia vitæ,
Quàm tuus ex animo fugiat natalis IESU;
Aut mihi tàm lætæ veniant obliuia noctis.
Mop. O. nox ſole, polo, cunctisq; nitentior aſtris,
Vlla ne de noſtris te deleat hora medullis?
Me. O. nox fauſta mihi, nitidis rutilantior aſtris.
Exulta, ô magni Bethlemia parua Dauidis.
Invidet arx Solymæ jam nunc tibi celſa Siónis:
Invidet aërijs ut parua myrica cupreſſis.
Ly. Exulta ô parui Bethlemia magna Dauidis,
Non urbes inter minimas fœlicis Iudæ.

Ceda

Cedat vana Deum nutrix celeberrima Creta:
Cedat & ipsa suo Augusto cum Cæsare Roma;
Tam sublime omnes supra caput exeris vrbes.
Syl. Exulta ô magni Bethlemia parua Dauidis!
Altera nunc Rachaël, Dauid tibi redditur alter:
Et gremio dux ille tuo nunc nascitur ille,
Cui domus Isacidûm placidâ ditione regetur
Quiq; hostile jugum nostrâ cervice repellet.
Men. Exulta ô magni Bethlemia parva Dauidis!
Vera domus panis, cœlo qui labitur alto;
Cor. Exulta ô Bethlem! ductor tibi redditur alter:
Non vltrà minimas inter numeraberis vrbes.
Mop. O! nox fausta mihi, cunctis rutilantior astris,
Quâ jubar, & miranda polo data gratia ab alto.
Plaudite cœligenæ! jam vestra est gloria nata:
Plaudite terrigenæ! jam nostra est gratia nata.

IDYLLION II. MONOPROSOPON.

Christo-philus.

INcluta supremi suboles patris, edite parta
Iam jam virgineo, rex bone, diue puer:
Tu qui perpetuo suboles æquæva parenti
Carne latens fragili, debile corpus habes.
Sit mihi fas, tua facta loqui, tua gesta profari:
Et mea festivùm carmen avena sonet.
Vix jam virginei veneranda cubilia ventris
Egressus, populis maxima signa dabas.
Clara per immensum spargens miracula mundum,
Te consortem alti numinis esse probas.

Signa

Signa per æthereos tractus, portenta per auras:
Claret & in lato visio multa solo.
Lucida blandisono stupuerunt sydera cantu:
Percurrit rutilos lux radiosa polos.
Vidimus angelicas prope cœlos ire phalanges:
Et fidibus resonis pangere dulce melos.
Promulgasse simul cunctæ lætissima genti
Numina; divinus quæ calefecit amor.
Pastores radijs circumdedit ampla coruscis
Lux, & perculsi sunt novitate rei:
Et stupuère jubar, volucres stupuère ministros:
Rustica sollicitus corripit ossa pavor.
Stabat iners pecus ad longi præsepia fœni,
Atq; Creatorem sensit adesse suum.
Hinc sua mirantur rigidas tibi pabula cunas
Facta, nec officium segnia bruta negant.
Immiti obsistunt calido spiramine brumæ:
Et prohibent membris frigus obesse tuis.
Stella per Eoos fulgens clarissima cœlos,
Nunciat in terris emicuisse Deum.
Evocat & proceres cum donis illicò Persas,
Dona tibi flexo poplite magna ferunt;
Auri regales glebas, & thuris odores,
Et lacrumis Myrrhæ vascula plena sacris.
Diue puer, nascens miracula plura patrasti:
Musta dedit cœlum, multaq; terra dedit.
Sed permagna meam subit admiratio mentem,
Quomodo descendas summus ad ima Deus.
Omnia perpetuo rutili penitralia cœli
Numine complebas, & tuus orbis erat.
Te regem Angelici vallabant vndiq; cœtus,
Et tua fulgebat gloria cessa polo.

Cuncta

Cuncta tibi subsunt, Zephyrus tibi servit & Eurus,
Ac tua iussa poli machina tota facit;
Nunc tamen obscuro pauper lacrumaris in antro:
Et vix, quo foveas corpora, tegmen, habes.
Sancte puer, nobis sit fas exquirere causas:
Vis vt quæramus, pusio sancte? VOLO.
Quid fuit in terris, puer ô peramabilis, ob quod
Veneris in terras pauper & exul? HOMO.
Quid tibi, persuasit patrios exire penates:
Linquere stellantis gaudia sedis? AMOR.
Quid fuit, vt fragili numen sub carne lateret?
Parvus & indueres debile corpus? AMOR.
Vilia cur infans inter jumenta cubabas?
Quidve subire boum septa coëgit? AMOR.
Quid tibi pungenti stravit cunabula fœno?
Quidve tuas cunas stramine sepsit? AMOR.
Quid fuit, ut paleis stratum mordacibus artus
Vreret, & citeum gramen oleret? AMOR.
Cur tua panniculi tam viles, membra tegebant?
Quid tolerare gelu pergraue fecit? AMOR.
Quid tibi lacrymulas mouit? quid flere coëgit?
Quid tua vagitu labra resoluit? AMOR.
Vnde tibi miseris squalens in rebus egestas?
Paupertatis onus, quid tibi suasit? AMOR.
Quid te te immundo non notum claudit in antro,
Atq; tuum nomen nobile texit? AMOR.
Plurima quæsiui, sed vellem quærere plura,
At non cuncta scio, quæ tibi fecit amor.
Dic tamen, an plures amor exantlare labores
Vrserit, & fueris plurima passus? ITA.
Ergo fuit tantum diuini robur AMORIS,
Flecteret ut cœlos, vinceret ut superos?

Divus

Divus ab æternis habitabas ſydera ſæclis;
Stabat & in cœlis aula beata tuis.
Nullaq; prævaluit tibi vis, licet ardua; ſed te
Sedibus æthereis expulit vnus amor.
Nulla Gygantei potuit violentia belli
Frangere cœrulei ſplendida caſtra poli.
Sed quid, Chriſte, fuit diuinum præter amorem,
Quod tua ſic poterat flectere corda? Nihil.
O amor! æterno Chriſti memorabilis ævo:
Flamma ſalutaris, nobilis ardor, amor.
Cœlicolûm regem flammis fœlicibus vris:
Deſuper & magnum pellis ad ima Deum.
Mortales, divosq; tuis connectere vinclis
Tu potes, & ſancto glutine iungis eos.
Puſio ſancte, tibi quid homo viliſſimus egit?
Vt tam langueres ejus amore? Nihil.
Ecquid habebat homo rerũ? quid habebat honoris?
Ejus vt arderes totus amore? Nihil.
An illi fortaſſe fuit quoq; mutuus ardor?
Atq; tui fors eſt captus amore? Parum.
O! homo depreſſo ſpectans terreſtria vultu,
Ac limis oculis regna beata videns:
En! jacet in duro divinus puſio fœno,
Et blando totus flagrat amore tui.
Frigora non ſentit, non illum ſtramina pungunt:
Ipſum namq; tui maximus vrit amor.
In vobis levior ſcintilla relucet amoris:
Veſtraq; langueſcens pectora, flamma ſubit.
Vis tamen hoc ipſis ignoſcere Chriſte? libenter.
Cerno quod ardentis vulnus amoris habes.
Nec redamatus amas, & nos complecteris vltrò,
Qui vapor & pulvis, fumus & vmbra ſumus.

Cœlica progenies, puer inclute, diua propages,
Multò plus nostro fervet amore tuus.
Nos tamen indigni divino numine serui,
Semper amatores cogimur esse tui.
Et quamvis mundanus amor nos urere tentet,
Blanditijsq; petat pectora nostra suis:
Atq; Cupidineus terris exæstuet ignis:
Nosq; velit stygijs exagitare malis:
Attamen æthereos semper meditabimur igneis,
Ne tuus in nostro corde tepescat amor.
Vis etiam, diuine puer, rex inclute mundi,
Nos humiles famulos semper amare? VOLO.
Si quando cœli fulgentia sceptra capessas
Astriferi, nostrûm vis meminisse? VOLO.
Atq; vbi mortales fati persoluimus umbras,
Vis nos cœlesti sede locare? VOLO.
Ergo agite, ô pueri puerilia munera Christo
Iam nuper nato ferte, referte meo.
Illius & regni mysteria magna futuri,
Pandite. Non pueros respuet ipse puer.

EIDYLLION III. MONOPROSOPON.

Christo-ferus.

O! vos felices ruris gaudete coloni,
Queis nigra sylua placet, queis nemus omne (patet.
Pastores gaudete mei! gaudete! vagetur
Securus quamvis grex, pecudesq; cubent:
Quamvis fraxineâ custos præsepia crate,
Et canibus pavidas claudere nolit oves,
Non Lupus excidium tristis tamen adferet ullum:
Aut laceris prædæ dentibus ima petet:

Sed

Sed montes, & lustra cicur sua nota relinquens,
Inter & agnellos, & gradietur oveis.
Quin, qui vix vllo potis est mitescere cultu,
Iam Leo cum vitulis con-sociatus erit:
Atq; domum rediens septo claudetur eodem,
Adsvetus pueros, imperiumq; pati.
Aurea sperata cum pace renascitur ætas:
Quæq; olim nostro fugerat acta solo
Alma Themis, rediens posito squalore situq;
Terricolis secum gaudia mille refert.
Plaudite ruricolæ plenos proventibus agros
Et Bacchus vobis; & dabit ipsa Ceres.
Quid fera tempestas? Soles-ve, imbres-ve timebis
Nullos, nec sterilem vomer aduncus humum.
Nam dites campos, & florida prata, gregesq;
Vbere distentos, velleribusq; graves,
Expectata diu terrarum gloria Christus
Attulit: huic grates pectore ferte novis.
Illius vt primùm senserunt numina gleba,
Lætior incepit luxuriare seges:
Explicuitq; sinum succis crescentibus altè
Riseruntq; imis pascua picta jugis.
Nullus ager vacuis sterilescens albet avenis:
Et nulla infelix messis habet lolium.
Plaudite pastores? Christo nascente redivit
Gratia concordi dissita jure ligans.
Iam populos Deus ipse reget: dabit impia vinctas
Iam Bellona manus, vincula dura ferens:
Sanguinolenta Orci subigentur carcere bella:
In ciues grassans Mars quoq; nullus erit.
Tuta quies aderit, nudati nescia ferri
Quod necis est sitiens, quodq; cruore madet,

Ius aderit, terris vultum reddetq; priorem,
Quaq; Eurus fertur, quâ Zephyrusq; volat.

APOPHORETA SACRA,
IESULO
DEO-HOMINI
Pio mentis manusq; adfectu oblata.

COR FLAGRANS DEO.

SAlve magne puer, liceat te munere parvo
Visere, & ad cunas procubuisse tuas.
Non mihi sunt gemmæ, nec fulgida divitis auri
Pondera, quæ largo munere mittit Arabs.
Cor tibi amore flagrans, fulvo pretiosius auro,
Offero: tu rursum, quod petis, illud ama.

CORONAM FLORIDAM SPONSO.

Hanc ego contextam vario de flore corollam
Impono capiti Christe puelle tuo.
Flosculus es dulcis, dulcesque effundis odores,
In casto crescens, virgineoq; toro.
O! flos exuperans felici germine flores,
Vt tibi serta legam, pectore cresce meo.

CORNUCOPIÆ CONDITORI.

En! tibi terra offert hos fructus divite cornu:
Inq; tuos fundit munera læta sinus.
Teq; creatorem noscit, rerumq; parentem,
Immensæ cujus sunt bonitatis opes.
Accipe magne Deus: tellurem redde benignam:
Vt tibi multiplici fœnore reddat opes.

FA-

FACEM ACCENSAM ÆTERNO LUMINI.

O! æterna dies, lux mundi publica, salve!
Luminis æterni splendor, & ardor ave.
Splendidior cunctis nox vna est facta diebus:
Quod vidit nullus, nox videt vna, dies.
Qui lucem splendore tuo, noctemq; serenas,
Pectoribus nostris subijce, quæso, faces.

OLEÆ FRUNDEM PACIS REPARATORI.

O! pacis reparator ave, mitissime Iesu!
Hoc ce meum pacis symbolon, esto tuum.
Te nascente Deo, vigeat pax aurea terris:
Te regnante Deo, pacis alumna regat.
Desinat hostis atrox iam tandem bella movere:
Cogatur vinctas, te duce ferre manus.

GLADIVM VINDICI.

Mitis ades, puer alme, quidem; sed justus es idem:
Et necis, & vitæ sors tibi, jusq; datum.
Tu insontes cœlo disiunges sontibus olim,
Orbis cum feriet buccina sæua plagas.
Parce Deus miseris, oculosq; inflecte benignos:
Fiat vt offensi mollior ira Dei.

PALMAM VIRENTEM VICTORI.

Audita est nobis divina precatio pacis
Æthere sublimi, nec sine mente, reor,
Te fore victorem, cœliq; Erebiq; potentem,
Aligeri juvenes voce iterante canunt

Vince Puer mundum, carnem, nigra tartara vinces
Victor enim ſuperas ingrediêre domos.

CORONAM AVREAM REGI.

Imperium tibi Chriſte datum terræq; poliq;
Ex auro fulgens iſta corona notat.
Pacatum rege pacatis virtutibus orbem:
Namq; tuum ad nomen flectitur omne genu.
Te Regem ſuperi agnoſcunt, ſtyx ima tremiſcit,
Terrigenæq; ſtupent. Rex pie Chriſte fave!

MONILE BACCATUM INFANTULO.

Et tibi Chriſte puer baccatum dono monile:
Id volo de collo pendeat ambroſio.
Accipe pulcra parens munus levidenſe; puello
Has ego jucundas offero delitias.
Dignior eſt gemmis, auro, nitidisq; lapillis:
Totus enim tuus eſt aureus ille puer.

VESTICULAM PAVPERCVLO.

Sed quid ego domino totum qui veſtijt orbem
Offero? quid magni muneris inſtar erit?
Nudus, inops, pauper, toto excluſiſſimus orbe,
Inter quadrupedes Ieſule parue jaces?
Hâc ego veſticulâ tenerum tibi contego corpus:
Tu mihi, tu mentem numine Chriſte tege.

ECLOGA I.

DE NATO DEO.

Opprimor immenſo rerum ſplendore, modoq;:
Me rapit ipſe puer, me rapit ipſa parens.
Diues inopsq; puer, pueri paupercula mater:
Paupere patre puer, paupere matre DEus.

Ah

Ah gemit & plorat, trahit altum corde dolorem;
Astra, polus, terris lumina læta ferunt.
Ah nullæ in parvo penitus sunt corpore vires,
Attamen in magno Numine robur inest.
Ah! quantum torpent languentia frigore membra?
Imperio cuius sol fovet igne solum.
Friget & alget amor, quia nostrum pect' amore,
Friget divino, vt flammula nulla micet.
Esurit, & nemo est, puero qui porrigat escam;
Terrigenis parat hic, pontigenisq; dapes.
Luxus, mollities, & lautæ fercula mensæ,
Ventrisq; ingluuies hanc peperêre famem.
Aret is, in terras largum qui depluit imbrem;
Quis puero arentem, pellet ab ore sitim?
Auri sacra sitis, quæ corda humana fatigat,
Illa crucis diram provocat usq; sitim:
Quomodo qui verum summi est patris incrementum
Assumit corpus omnipotensq; manet?
Crescit, vt in nostro sapientia pectore crescat:
Et dignum Christo præparet hospitium.
Quomodo quem nequeunt cœlestia corpora mole
Claudere, complexum fascia parva ligat?
Fascia constringit, qui nexus liberat omnes,
Vt pateant nobis clausa theatra poli.
Recluserè suum pecudes præsepe Tonanti:
Clausimus & summo nos fera corda Deo.
Subjecit detonsa comas sua gramina tellus;
Infantem nostro pellimus è thalamo.
Iam spectanda foret mater; mirabilis ast est,
Quæ genuit gnatum, virgoq; pura manet.
Ex atauis numerat generosum Regibus ortum,
Et sedet in vili regia virgo casa?

Quæ peperit regem terræq; Erebiq; poliq;:
Et tamen in toto vix habet orbe locum.
Ite procul vani luxus, Babylonia moles,
Bustaq; Mausoli, Pyramidumq; labor:
Non heic auratâ regalia munera fronte,
Sed pecudum thalami, stramineiq; tori.
En! tectum lustra; sunt omnia pervia cœlo:
Hos lustra muros, certa ruina domus.
O! nova pauperies fulvo pretiosior auro:
Quàm nobis rectam munit ad astra viam?
Nos genus invisum, nos pondus inutile terræ,
Corporis ornandi tantane cura subit?
An decet in molli servum requiescere lecto,
Durâ vix Dominus cum requiescat humo.
Quid gestare juvat bis tinctas murice vestes,
Cum vix linteolis frigida membra tegat?
Quid mensas onerare juvat poclisq; cibisq;?
Vix parvâ exiguus cum stet in æde focus;
Vile specus, pauperq; puer, pauperrima mater,
Delitiæ nostræ, divitiæq; forent.

ECLOGA II.

seu

Prosphonema ad Pastores.

PLaudite pastores sancti, cantusq; movete:
Et date nascenti mystica liba Deo.
Lætificos iterate sonos, nova pangite metra,
Tangat Threijciam dextera docta chelim,
Saltantes pedibus Pastores pellite terram:
Tempus adest lætum, læti agitate choros.

Necti-

Nectite virgineâ, jam nectite frunde coronas:
Nam Deus è castâ virgine natus homo est.
Infantem peperit virgo sub paupere tecto,
De quo veridicj tot cecinêre Duces.
Qui genus humanum cœli deducet ad alta
Atria: qui tollet cuncta patrata patrum.
Quiq; suum populum à tenebris mox trans feret almâ
Ad lucem, & nitidj regna beata polj.
Ite alacres, vos ite, metus deponite cunctos,
Concessum quibus est posse videre Deum.
Et quib9 ad cunas, atq; ad præsepia matrem,
Inq; levi Regem gramine depositum
Cernere dat summus divûm pater, atq; hominũ Rex,
Qvî frænat tumidi murmura rauca maris:
Ergo iter accelerate: noviq; tepentia lactis
Munera, cumq; pio pectore mella date.
Muneribus cumulate Deum, cumulate parentem:
Et fument tepidis thura Sabæa focis.
O! vos fœlices, ô! terq; quaterq; beatos
Pastores, queîs hæc nuncia læta cadunt.
Scilicet innumeri recubant diademate fulvo
Ornati, quibus haud contigit ista salus:
Vt veniat Iesus cœlo de patris eburnêo,
Pastorum, ac regum, visat vt ante casas.

ANTITHESIS
Lacrumarum veteris, & gaudiorum novæ Ecclesiæ super adventu Messiæ.

I.

Heu! lugete Patres: juvat indulsisse dolori:
Tardat Messias: heu! pie Christe veni!

Christus adest Patres: lacrumis imponite finem:
Lætitiæ saliunt larga fluenta Dei.

II.

Hem! quando venies IESU promisse parentis
Vnice? dum venias, nil nisi flere juvat.
Christus adest, querulis excitus vocibus, ecce!
Idolor! i luctus! gaudia læta sonent!

III.

Ah dolor! ah luctus! nostri miserebere nunquam
Nate Deo? semper fletibus ora madent.
Quid? luctus cessent: nec vos dolor urat amantes:
Causa doloris abest; lætitiæq; venit.

IV.

O! cœli, reserate polos: date pignora Patris
Æterni: Christum terra novata refer.
En! optata fluunt in vestris gaudia votis:
Æthereâ suboles prodit ab arce patris,

V.

Nulla salus nobis: IESUM deposcimus omnes:
Nascere magne Deus! nascere magne puer!
IESUS vera salus, humanos induit artus.
An desiderio quid superesse potest?

VI.

Eheu! quin miserere Deus; miserere tuorum:
Irradient vultus lumina sancta Dei.
O! donum sacrum: donum miserantis Olympi:
Dispellit noctis nubila lucis apex.

EPIGRAMMATA VARIA IESVLO SACRA.

Ad

Ad Virginem-Matrem.

Si Mater, virgo quanam ratione putaris?
Si virgo, facta es quâ ratione parens?
Desine mirari: porta es virguncula mater
Conclusa, & ventris porta serata manet.
Hortum conclusum verè te dixero virgo:
Nec nisi divini numinis arte pates.

Ad eandem nato Iesulo.

Quid mora? dulcis amor Iesum ne linque tenellum
Magna parens: gnatum suscipe virgo tuum.

Mater ad Iesulum.

Salve care puer! Iesu parvissime salve!
Salve, & me totam suscipe Christe tibi.

Iesulus Matri.

Tu mihi mater eris, quâ non dilectior orbe
Altera: te legi: Tu mihi mater eris.

Iosephus ad Iesulum.

O! Iesu mi, parve puer; mi suavis Iësu,
Me matris socium, me famulumq; velis.

Iesulus Iosepho.

Quid dubitas? socius, famulus, custosq; parentis
Atq; meæ matris tu mihi solus eris.

In Præsepe Christi.

Hæcine, quâ cœli Salomon sapientia noster
Excipitur sedes? siccine mundus agit?
Ornatur Mundi solium gemmisq; lapillisq;:
E contra nati vilia tecta Dei.
Lege novâ Rex iste novo, totj imperat orbi:
Divitis exosus, pauperis arma gerit.

Ad

Ad idem.

Exiguis ſpatijs artatur Diva propages,
Quam Cœlum & Tellus non capit orbe ſuo.
Arta, viden'? capiunt Ieſum præſepia. IESUS
Matris homo effigies; ſed deitate Patris.

In Stabulum.

En! malè ſarta domus, quam perflant vndiq; venti;
Vndiq; pauperies quam premit arte ſuâ.
Queîs te depingam phaleris? quo ſyrmate? nati
Vile quidem ſtabulum es, ſed tamen aula Dei.

In Bovem & Aſinum.

Dicite nunc Aſino, cornuto dicite Tauro,
Fœlices nato plaudite, adeſte, Deo.
Non eſt qui foveat frigentia membra calore
IESU: vos hominum bruta ſubite vices.

Cognovit Bos & Aſinus; Iſraël me non cognovit.

Prô pudor! Iſraël ſævo num percitus Oeſtro
Ignorat Chriſtum? Bos, Aſinusq; ſciunt!

In Chriſti Lectulum.

Spernit molliculâ Chriſtus requieſcere plumâ:
Accipiunt duri membra tenella tori.
Non jacet in tenero ſuperûm ſapientia lecto:
Contentum vili ſtramine cerne Deum.
Omnibus exiliant animi, de paupere regno:
Divitiis haud ſtratum; pauperis ipſe petit.

In noctem nativitatis Dominicæ.

Quid mirum, Phœbi vultus latuiſſe ſerenos
Te naſcente Deus? Tu mihi Phœbus eris!

In

In Solem absentem nato Christo.

Cynthie quo refugis, Christo Dominoq; Deoq;
In terris nato? Cynthia te superat.
Nascitur in tenebris verus Sol ipse diei:
Irradiant mundum lucida signa Dei.

In Civitatem Bethlemiticam.

O vtinam (hospitium dignum Bethlæa dedisses:
Hospitij starent munera larga tibi.

Ad natum Christum.

Alma Dei suboles, solitis assueta polorum
Delitijs, nitidi gloria summa poli:
Pauperiem, stabuliq; Deus præsepia mitis
Eligit, atq; orbi nascitur ipse suo.
Tale nihil, fecit residens sublimis olympo:
Anne homines inter plus bonitatis habet?

De Iesulo.

Plaudite terrigenæ, vobis est Iesulus ortus
Salvator vester: plaudite terrigenæ.
Plaudite cœligenæ, cœlorum gloria terris.
Visitur exoriens: plaudite cœligenæ.
Plaudite terrigenæ radijs qui crimina vestra
Offuscat puero: Plaudite terrigenæ.
Plaudite cœligenæ Regi, qui morte fugaces
Proculcat Furias. plaudite cœligenæ.
Plaudite terrigenæ puero, qui nascitur orbj,
Ac reserat cœlos: plaudite terrigenæ.
Terra, fretum, cœli cantate & pangite laudes.
Pangite terrigenæ: pangite cœligenæ.

Anima fidelis suo Iesulo.

Tune meus Pater es? Rex tu? tu noster IESUS?
Est ita; credo, Pater, Rexq; redemtor eris.

Quæ

Quæ tibi dona feram puer? ah mea sola voluptas!
Quæ tua sunt, mea sint! quæ mea, sintq; tua!

IESVLVS frater noster Heb. 2.

Incla orbis qvidnam metuis? fit noster Iesus
Frater: sit fratrum gratia magna, precor.

IESVLVS. nobis similis.

Es nobis similis svavissime Iesule: sed tu
Nescius es labis, criminibusq; cares.

De Magis Iesulum quærentibus.

Dicite magnanimi Persæ, quid traxit Eois
Finibus huc vos? num vos puer iste trahit?

Magorum responsio.

Hic trahit, haut dubium: nobis nam stella refulsit.
Stella novæ lucis, nuncia vera Dei.

Evangelium Angelicum.

Gloria sit superum Regi, sit gloria Christo:
Inter terrigenas pax vigeatq; bona.

Ad Angelos Evangelistas.

Plaudite suave melos, resonent cœlestia metra
Aligerum; Deus est, plaudite, natus homo.

Ad Atheum.

Dum non vis vultu puerum spectare benigno:
Spectabis qvando sæviet ore trucj.

Ad immisericordem.

Aspice, quàm vilis convestit pannus Iesum:
Qvàm tremit, & gelido frigore membra rigent.
Non hunc palla tegit tenuis; non tincta colore
Purpura: non decorant laurea serta comam.
Non cueruli reboant circum præsepia nervi:
Tibia non resonat, nec tuba rauca boat

Bo-

Bos, Asinusq; implent totum mugitibus antrum?
Inter & attonitus Christus vtrumq; jacet.
Et tibi sunt cytharæ? libando pocula Bacchi
Pervigilem noctem ducis ad vsq; diem?
Nec vestire Deum, rerum qui causa benigna,
Dignaris? duræ te genuere feræ.

Ad auarum.

Qvid petis auratas vestes, & stagna rubentia
Aurea Pactoli? quid nisi vana petis?
Quid nisi vana petis morituræ commoda carnis?
Commoda falsa petis? commoda falsa tenes.
Quid tibi divitiæ, quid splendida tecta columnis,
Quid tibi magnorum proderit imperium?
Quid lapides, gemmæ, prosunt quid jugera campi?
Quid tu regna petis, quæ peritura nocent?
Quid petis argentum? summum stellantis olympi
Quære Deum: abs illo, quæ petis accipies.
Quæ petis accipies; is enim tibi flumina largi
Aurea Pactoli, divitiasq; dabit.
Sperne voluptates: mundi te subripe somno:
Vt tibi sit Christus lux tua, vita, salus.
Hac, quæ tota patet, quæ tecta est stramine curto,
Non cœli renuit dux habitare casa.
Felix, quæ tantis sonuit vagitibus, & quæ
Alituum vidit, sustinuitq; choros.
Texit Alexandrum variorum flore colorum
Purpura, quæ sævum depulit arte gelu:
Ast te protexit superum Pater, & tibi Christe
Pro palla tincto murice, bruma fuit,
Atq; miser quamvis sis Iesule; te tamen orbis
Quisq; canit, Regem dicit & esse poli.

ECHO

ECHO

De nato Christo.

Angelus è superis descendit sedibus; atq;
Terrigenis (miseris) gaudia (dia) tulit.
Ne trepidate; datus (natus) salvator Iesus,
Immundum (mundum) qui recreabit, (adit.)
Est homo de matre, (patre) Deus optimus (imus:)
Altitonansne? (tonans) Omnipotensne? (potens)
Quisnam illum cœlis duxit? (Lis duxit,) vt Evæ
(Væ) lueret, (rueret) plenus amore (moræ.)
Plenus divitijs, (vitijs) sine prodit, & (odit)
Fastum (astum,) tectus panniculo (anniculo.)
Infandos mores, (ô res) & magnus, (& agnus)
Immitis (mitis) corriget, atq; (reget.)
O! mundi columen, (lumen,) spes, (res,) pia (dia)
Fax, (pax,) dux, (lux,) rex, (grex quoq; clamat,
Imanuel (El) nostra salus, ô! nascere Christe: (amat.)
(Iste) poli nos vult ponere sede? (SEDE!)

Exodium infantulo, mellitissimoq; IesuloS.

Natali tibi Christe tuo dare magna volebam
Munera, sed rerum copia parua mihi.
Quare age, cum vires desint, sit grata voluntas:
Cumq; nihil tibi dem, te mihi Christe dato.

Fili Iesu Nos Infantes Serva.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST